Allacci, Leone; Fabricius, Johann Albert [Hrsg.]: Leonis Allatii De Libris Ecclesiasticis Graecorum, Dissertationes Duae: Quarum unâ, Divinorum Officiorum potiores usitatioresque Libri percensentur: altera Triodium, Pentecostarium & Paracletice examinantur
Hamburg, 1722 Seite 143

que Hæreticorum ora effrænata. Ne exaltentur in semetipsis, qui exasperant. Aliorum infortuniis discant, nec mortem subeant, dictum est Gregorii Theologi, neque enim moras ponet ad abscindenda Hæreticorum capita, Ecclesias DEi interturbantium, & unam Deitatem in duas dividentium, abscissa Deitas, pessimeque divisa in majus, & minus, visibile, & invisibile, communicabile & incommunicabile. Licet enim propter iniquitates nostras tradamur: namq; quem- 208
admodum rebus etiam in aliis traditi sumus, nihilominus non ad finem usq; novatio deseretur, CHristi sponsa, DEi Ecclesia, illius sanguine rubefacta, & expurgata. Ecce enim, ait, ego tradidi te, & ego opem feram tibi: in parvo furore percussi te, & in sempiterna misericordia glorificabo te. Incredibile est, quanto punitionis mensuram anteeat humanitas. Modicum enim ait hæreditabitis montem sanctum meum: modicum apud alienigenas arca: nunc paululum in aliena insolentius tegere, & placita exple: quemadmodum enim me ejicere conati estis, ita & ipse ejiciam vos, dicit Dominus omnipotens. De tuis itaque dogmatibus, & summo occupato sacerdotio ita ipse sentio, & spes me tenet ita futurum. Quin immo apprime novi, & confido, & firmiter teneo, Salvatoris promissionibus indubie confirmatus. Nos vero Apostolorum prædicationem, & dogmata Patrum, Sanctorumque omnium sequentes, non de DEo decernimus, sed execranda dogmata refellentes, hunc in modum prædicamus, & profitemur. Credimus in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, tres proprietates, unam Deitatem: tres Hypostates, unam Deitatem: tres personas, unam Deitatem, unam essentiam, unam naturam, simplicem, æqualem, indivisam, inconfusam, unicam Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate adoratam, & cultam. Alieno vero non animum intendemus; neque enim vocem alienorum sequi novimus; neque te, qui prædonum instar aliunde intruderis, & non per portam in ovium caulam ingrederis. Sic porro adorantes, sic tenentes, & sic venerantes unicam in tribus personis Deitatem, 209
promissis certis constabilimur, eam nos perfectius, & purius visuros, non in ænigmate, sed facie ad faciem, in illo immortali regno, & justorum fruitione: cujus visionis utinam ipsi participes efficiamur, & te aliquando pœniteat, gratia, & misericordia, & humanitate Domini nostri JEsu Christi, cui addecet omnis gloria, honor, & adoratio, cum ejusdem sine principio Patri, soli causæ, & sanctissimo, & bono, & vivifico illius Spiritu, uni & indivisæ Deitati, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. Alter est: Η μὲν
πίστις ἡμῶν κυρίου ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῶν ἁγίων μαθητῶν, καὶ ἀποστόλων αὐτοῦ, καὶ τῶν ἱερῶν προφητῶν, καὶ τῶν θείων συνόδων, καὶ πάντων τῶν θεοφόρων πατέρων, καὶ διδασκάλων ὀρθοδοθεῖσα πίστις ἡμῖν καὶ εὐσέβεια πᾶσιν ἐστὶ πρόδηλος καὶ φανερὰ τοῖς μετέχουσιν αὐτῆς. πανταχοῦ
δὲ ὁμολογεῖται εἰς θεὸς τρισυπόστατος, καὶ ποιητὴς ὁρατῶν τε πάντων, καὶ ἀοράτων.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/allacci1722/0150
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die DFG